



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 31. Josephi Sacripantis Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

qua graviter questus, quod in sepultu-
ris non sine hæredum præjudicio im-
moderatæ fierent expensæ, statuit, ut
hujusmodi sumptibus deinceps parce-
retur, & quod mere ad pompam de-
servit, penitus tolleretur. Præterea
Synodus serio inhibuit, ne Clerici ve-
stes variegatas gestent, quod si non
paruerint, contra eos pœna arbitraria
agatur: Voluit etiam, ut qui ficta co-
ma justis de causis utuntur, nec ta-
men prolixiorem, nec pulvere cyprio
asperfam, aut Sacerdotali corona de-
stitutam in Missa gerant, nec Parochi
duplicia jura exigant, si Ordinarius
ex justa causa dispensat, ut defunctus
vespere sepeliri valeat. Præcepit etiam
Synodus, ut ad Sacerdotium admit-
tendi, prius per octiduum sacris exer-
citiis vacent, atque in observandis ce-
remoniis exacti sint, & sæpius ac at-
tente rubricas relegant. Denique man-
davit, ut juxta decretum Benedicti XIII.
in litanis majoribus post S. Joannem
Baptistam addatur invocatio S. Josephi.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

§. XXXI.

*Josephi Sacripantis Cardinalis
obitus.*

Ex Purpuratis numerantur tres, qui
hunc annum vitæ suæ postremum
ha-

Sæc. XVIII. habuere. Hos inter primus erat Jo-
 A. C. 1727. sephus Sacripantes Narni a Parentibus
 generis nobilitate inclytis natus: ab
 his pie educatus Romam mittebatur,
 ut ibidem sciendi ardorem, quem jam
 a teneris præferebat, assidua exerci-
 tatione expleret. Philosophicis igitur
 ac Theologicis scientiis probe instru-
 ctus, præ cæteris eximium Jurispru-
 dentiaæ studium tam felici progressu
 percoluit, ut inter Juris Consultos il-
 lius ævi maximos haberetur, & ab In-
 nocentio XI. Advocatis Consistorialibus
 accenseretur. Paulopost ab eodem
 Pontifice Camerae Apostolicæ Data-
 rius, Canonicus ad S. Joannem in La-
 terano, necnon Abbreviator *de Curia*
 nominabatur, & Arrighio aliquamdiu
 adversa valetudine presso Pontificii
 Auditoris munus obibat. Pluribus et-
 iam, iisque perhonorificis officiis ad-
 movebatur ab ipso Alexandro VIII. &
 Innocentio XII. cujus etiam favore ad
 munus Secretarii libellorum supplicum,
 necnon ad Tribunalium Romanorum
 reformationem accitus, instantibus Au-
 striacis æque ac Gallis, Purpura deco-
 ratus est. Interfuit sacris comitiis, in
 quibus Clemens XI. ad D. Petri Cathed-
 ram evectus, Sacripantem Pro-Data-
 rium, & Præfectum Congregationis
 de Propaganda renuntiabat, & tam
 præ-

præclaram de ejus prudentia ac eruditione opinionem habebat, ut eidem in Pontificio Palatio firmum habitaculum affereret, atque in gravissimis negotiis ab ejus consiliis penderet: Tantæ Pontificis benevolentia Sacripantes ad amussim respondit, totumque se Ecclesie obsequio dicavit, fervente etiam diffidio circa Urbem Comaclensem edita Dissertatione non minus solida quam erudita sacrae Sedis jura efficacissime defendit. Anno hujus Sæculi duodecimo ægre mortis periculum eluctatus erat; soluta enim fornicis compage in Seminario Romano sub ruinis haud dubie extinctus fuisset, nisi de imminente periculo quidam Clericus illum uno prius momento monuisset; paulo post tamen ad Vaticanam Ecclesiam curru vectus, casu incidit in quosdam litigantes, qui se invicem lapidibus impetebant, & saxis prætervolantibus non modo currus fenestras confringebant, sed & Cardinalem in capite graviter vulnerabant, qui tamen petulantia suæ poenas mox carcere, & tremibus dederunt. Postea Cardinalis unacum Eminentissimo Paulucio adstitit moribundo Principi Alexandro Sobieskio, & ad postremam luctam pie & fortiter obeundam placidissime exspirantem animavit. Nec tamen in

Hist. Eccles. Tom. LXXII. N n tam

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Sæc. XVIII, tam præclaris exercitationibus Cardi-
 A. C. 1727. nalis pauperum curam neglexerat; cum
 enim magna frumenti caritas patriam
 ipsius premeret, ipse haud exiguo pe-
 cuniarum subsidio, & magna frumenti
 copia laborantem Narniam sublevavit,
 a civibus *Pater Patriæ* vocatus, & tan-
 quam beneficus Mæcenas diuturnæ
 ac perennis felicitatis apprecationibus
 passim honoratus: Nulli etiam labori
 aut impensis parcebat, ut sacra Terræ
 Sanctæ loca, non modo plene conser-
 varentur, sed etiam eorum incremento
 magis magisque prospiceretur. Mortuo
 demum Clemente XI. Sacripantes, si
 duntaxat meritorum ratio fuisset habita,
 Sacra Tiara redimitus comparuisset,
 ipse vero privatæ vitæ tranquillitatem
 supremo in terris culmini longe præ-
 ferens, totus in eo erat, ut Innocen-
 tius XIII. & postea Benedictus XIII.
 Pontificiam dignitatem, cujus ipse eos
 dignissimos reputabat, obtinerent:
 Quamvis vero jamjam octogesimum
 secundum ætatis annum expleisset,
 assiduus tamen erat in obeundis, qui-
 bus præerat, officiis, & frequentandis
 Congregationibus, quibus erat adscri-
 ptus. Interfuit etiam Anno 1722.
 Sacris Carmelitani Ordinis, cujus Pro-
 tectorem egit, comitiis, in quibus Re-
 verendissimus P. Magister Caspar Piz-
 zolan-

zolantes in Generalem Præpositum e- Sæc. XVIII.
 ligebatur. Tandem hic Cardinalis A. C. 1727.
 exeunte Anno 1726. in periculosum in-
 cidit morbum, cumque mortis horam
 oppido vicinam esse sentiret, Sacris
 Ecclesiæ Sacramentis rite munitus, die
 tertia Januarii pie in Domino obiit,
 annos natus octoginta quatuor. Ejus
 decessum lugebant omnes Romani,
 præcipue vero pauperes, in quos bis
 centies mille aureos benefica manu e-
 rogabat, valde tenui substantia suis
 hæredibus relicta.

§. XXXII.

*Joannis Patrizzii Cardinalis
extrema.*

Hunc Cardinalem pari mortis necessi-
 tate sequebatur Joannes Patriz-
 zius patria Romanus. Patrem habuit
 Marchionem Patrizium, & Matrem
 Virginiam de Corfinis, a quibus pa-
 rem egregiis natalibus educationem
 nactus, sub optimis Institutibus tan-
 tum in humanioribus literis profecit,
 ut factò ad altiores disciplinas gradu
 Doctoratus laurea decoraretur. Jam
 tum omnium judicio ad publica officia
 natus credebatur, unde paulopost ab
 Innocentio XI. variis Congregationi-
 bus associatus, ab Innocentio XII. Pe-
 rufi.